# IOSEPHI MARIÆ SVARESII

## EPISCOPI VASIONENSIS

# DIATRIBA:



*IESVS CHRISTVS DOMINVS NOSTER*
ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ.


Eminentissimo, ac Reuerendissimo Principi
ANTONIO BARBERINO
CARDINALI, ET S. ROMANÆ
ECCLESIÆ CAMERARIO.





*LVGDVNI,*
Apud GVILLELMVM BARBIER Typogr. Reg.

M. DC. LII.





# EMINENTISSIMO
## AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
# ANTONIO BARBERINO
## CARDINALI,
## Et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario,

*JOSEPHVS MARIA SVARESIVS*
*Episcopus Vasionensis Felicit.*



EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS,

Vrbem Romam noménque Romanum vt præ cæteris viguisse, ac effloruisse; ita suis, & reliquarum gentium linguis, & litteris præcipuè commendari notissimum est: Vrbis autem elogia referre immensi esset operis; illa namque audiit *κόσμος κόσμου, ornamentum mundi*; illa *virtutum omnium laudatissimum templum, eloquentiæ fœcunda mater, iustitiæ patria, & legum origo* vocitata
fuit à Cassiodoro; *διδάσκαλος ἀρετῆς magistra virtutis* Lib.4. variar. epist. 6.
à Constantio Augusto; *vertex ciuitatum* à Sidonio; Orat. 1. Iulian. August.
*totius mundi ciuitas* ab Antonino, & Iustiniano August. lib. 1. epist.
atque à Dione, *ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, compendium orbis*; Nouell. 78.
ab Athenæo, *μήτηρ πασάων πολίων, parens cunctarum vrbium*; à Dionysio Afro, *Sacerdotij fons, Summi Pontificatus apex: vrbs vrbium, terrarum orbis caput, ac miraculum,*

Libb.de Magnitudine Romana,& de Romano Imper.

à Petrarcha. Rutilius Numatianus Vrbis Præfectus, & admirator, cultórque, illius encomia initio carminis sui pereleganter prosequutus est: at opes, atque copias Lipsius breuiter, Bulengerus fusiùs enarrarunt.

Quemadmodum verò fuêre quidam olim *μισέλληνες*, *qui Græcos oderant*, sicuti Marius, teste Cicerone: alij autem *φιλέλληνες*, *qui Græcos amabant*, vt Aristobulus, apud Iosephum; prout varia sunt hominum studia, diuersique affectus; ita non defuerunt *μισορώμαιοι*, *qui Romanos oderant*, inter quos primas tenuit Metrodorus, & hæretici omnes iam inde à primis Ecclesiæ cunabulis exorti, odio Romani nominis flagrarunt, & eo velut symbolo hodiéque contesserantur. Exstiterunt & *φιλορώμαιοι*, *qui Romanos amabant*, in illísque Castor, & Aristides, atque adeò Catholici, & orthodoxi omnes, qui Romanorum etiam nomine gloriati sunt, illôque abs Arianis, & aliis hostibus Ecclesiæ secerni cōsueuerunt, idque Cardinalis Baronius, & Filesacus adnotāt.

In Nott.ad Martyrol. lib.de Episc. auctorit.

Deus Opt. Max. omnium conditor, & auctor, cunctos quidem homines diligit, sed ex Ethnicis Romanos præsertim adamasse videtur. Hinc Isaiæ tempore cœpit scribi prophetia, quia tunc natalis, & exordium Romanæ Vrbis erat, quâ imperante Christus erat venturus, & impleturus oracula prophetica, salutémque promissam prolaturus ad orbem vniuersum; Decuit siquidem simul incipere Scripturam, & populum, cui scriberetur; Israël non egebat scripto, sed Gentilibus à Christo iuuandis erat necessaria Scriptura. Ideò prophetica scriptio, & Roma eodem æuo cœperunt: ita docet è S. Augustino S. Thomas Aquinas; quin ob virtutes, ac bonos, probósque mores, quibus præstitêre Romani, Deus fauisse potissimùm illis censetur, eósque impensiùs victoriis cumulasse, ac totum ferè terrarum orbem Romano Imperio subdidisse: præparabat nempe sedem Petri, qui Christi filij sui futurus erat supremus

lib. 8. de Ciuit. Dei. 2.q.174. in Caietan.

ſupremus Vicarius ea in vrbe, Petríque ſucceſſores ibi locare ſtatuerat, vt ſe vera fides ab illa tanquam ab arce mundi longè, latéque in reliquas vrbes, atque Prouincias diffunderet; auctore S. Leone. Atque vt omittam legationes, ac fœdera Machabæorum cum Romanis ſancita, ſocietatéſque, ac amicitias initas, & æneis tabulis inciſas, atque repetitas: Chriſtus vindex, & aſſertor noſter nonne naſci voluit è ſacratiſſima Maria ſemper Virgine, quo tempore Romana res erat in ipſo culmine poteſtatis, & à Cæſare Auguſto Imperatore Romano *Exiit edictum vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, cenſúſque à Cyrino Præſide Romano fuit actus, ſicut ab Euangeliſta prænotatur? Dominúſque omnium Imperij Romani cenſualis eſſe non fuit dedignatus: quò luculentiùs arguitur falſi calumnia Iudæorum accuſantium Chriſtum Dominum, quòd eum inueniſſent ſubuertentem populos, & negantem tributa dari Cæſari: tributa profectò Cæſari præſtari Chriſtus disertè mandarat; cùm, Denario, ſeu numiſmate poſtulato, & oſtenſo, inquirentes an tributa, ſeu cenſus exſoluere Cæſari oporteret? rogauit, cuiuſnam eſſet imago, & ſuperſcriptio Denario impreſſa: Cumque illi reſpondiſſent, Cæſaris; ſubiunxit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Præterea cum ſtater tetradrachmus in piſce fuiſſet inuentus, dixit Petro, *da illis*, qui accipiebant Didrachma, ſeu tributum, *pro me, & te*. S. Gregorius Magnus obſeruat tempus, quo S. Ioannes Baptiſta Præcurſor Chriſti prædicare cœpit baptiſmum pœnitentiæ, memoratis Romanæ Reipublicæ Principe, ac Iudææ Regibus, deſignari hiſce verbis: *Anno xv. Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha*. Quàm ineptè Hæreſiarcha impius, neque nominatus, Tritarchas auſus

Lib. 1. c. 8. 1. & cap. 12. 16. & paſſim.

Lucæ c. 2.

Matth. c. 22. 20. Marc. c. 12. 16. Lucæ c. 20. 15. Matth. c. 17. 24. Homil. 20. ad c. 3. Luc.

sit hîc ingerere probè sciunt quotquot Historias Ecclesiasticam, & Iudaicam vel à limine salutarunt: certè S. Gregorius id temporis ita delineat, quia Ioannes eum prædicabat, qui à Iudæa quosdam, è gentibus multos erat redempturus; & quia Gentilitas colligenda erat, atque Iudæa dispergenda, vnus in Republica Romana præfuisse describitur, & Tetrarchæ Iudæam diuidentes, atque lacerantes commemorantur. Tiberij verò nomen aptissimum est, vt Tiberinæ Dominationi assuetus Orbis ad Christum conuersus sub illa è profana in sacram quoque demutata conquiesceret: Centurionis insuper, haud dubiè Romani, puerum siue seruum hero charum & pretiosum sanauit Christus, séque tantam fidem in Israël non inuenisse professus est. Discipulos suos Romanis nominibus appellari ægrè non tulit, Marcum, à quo Euangelium Romano sermone contextum etiam creditur; Lucam seu Lucium, & Rufum; ipséque Petrum Apostolorum Principem nuncupari voluit, & Paulum ciuem Romanum ad fidem suam disseminandam insolito, admirabilíque modo euocatum Apostolorum Collegio cooptauit. Sæpius quando sumpsit cibum, velut in nuptiis ad Cana Galilææ, vbi recensetur Architriclinus, & cœnam vltimam cum suis Apostolis celebrans discubuit in cœnaculo grandi strato, siue in Triclinio Romano de more, seu sigmate (sic loquitur Tertullianus) postque solennia Iudaici paschatis peracta stando, & Agnum assum edendo iuxta normam à lege præscriptam, postque sepultam cum honore Synagogam, ipsi subrogaturus Ecclesiam primæ operatus Missæ instituit sacrosanctum mysterium, ac iuge sacrificium, quod cætera compleret, & antiquaret, consummánsque omnium differentias hostiarum vnâ oblatione porrexit Eucharistiam, quam consecrarat vt memoria foret, ac summa cunctorum Mirabilium;

Matth. c. 8. Lucæ c. 7.

Marc c. 15. Epist. ad Romanos c. 16.

Actor. c. 16. & 22.

Ioan. c. 2. 7.

Matth. c. 26. Marc. c. 14. Lucæ c. 22.

Apostolósque

Apostolosque sacris initians, & ordinationis, Missæque ritus ad Romanam amussim, regulamque seruandos à fidelibus cunctis innuens, nouum fœdus, siue Testamentum auspicatus, veteri concluso, terminatóque, ac veste cœnatoria, & λάμπρᾳ splendida, ingentisque pretij ( vt sanctus Ioannes Chrysostomus effert ) pro Romanâ consuetudine indutus; vnde vestium sacrarum origo visa est dimanasse.

At cùm Adami, totiúsque generis humani scelera sanguine suo expiaturus, & iustam iram Patris æterni placaturus, inuidorum, atque sacrilegorum Hebræorum Pontificum, Scribarum, & Pharisæorum coniuratione, ac Apostoli Iudæ perfidiâ captus fuisset, à militibus cohortis Romanæ comprehensus, vinctúsque ad Pontium Pilatum Equitem Romanum non Præsidem, sed Procuratorem Cæsaris Præpositum Iudææ; (vt exponunt ἡγεμονεύοντα Cujacius, & Goreanus) deductus est, tum ab eo multis calumniis appetito Pilatus multa requisiuit; cúmque ipsum Galilæum esse comperisset, Nazareth nempe conceptum, & incolam, ad Herodem, qui Galilææ præerat, perduci iussit: solebant enim obseruare quidam apud Romanos, vt cùm cognouerant, & constituerant, remitterent reos cum elogio ad eum, qui Prouinciæ præerat, vnde is homo erat: Christum tamen spretum, illusumque alba cum veste mandauit Herodes reduci ad Pilatum, qui collucentem innocentiam, & emicantem veritatem clariùs intuens, eiúsque iubare quasi perstrictus, illum dimittere, ac liberare tentauit; verùm acclamatione populi voci ferantis, *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, deterritus, Christum Iudæis iudicandum secundum ipsorum legem obtulit: Illi autem maiestatis crimen obtrudentes mendacissimè, ac intentantes majestatis omnis auctori, per quem regnant Reges, subiecerunt: *Quicunque se Re-*

c.13. lib. 10. obseru. Iur.

In l.2. D. de. Iurisd. p. 47

l. non est dubium 9. D. de custod. & exhibit. reor.

gem

*gem facit, contradicit Cæsari; Non habemus Regem nisi Cæsarem. Nobis non licet interficere quemquam*, confitentes palam deletum iacere, ac exstinctum Regnum penès ipsos; & quod ad Regem spectare consueuerat ius vitæ, atque necis translatum ad Romanos domitores, Cæsaremque Dominatorem pertinere. Ablata Iudæis iudicia LX. annis antè ipsorum cladem, ac vastitatem, & incendium Hierosolymorum Goreanus asserit, defecerat enim *Dux de femore Iuda*, & ipsa Regia stirps Assamonæorum, siue Machabæorum, detractumque illis sceptrum Herodi alienigenæ, Idumæo scilicet, à Romanis victoribus commissum; precarióque concessum fuerat. Turpiter igitur, fœdéque caligabant, imò cæcutiebant in suo Zanedrim, seu synhedrio; atque perturbato Conciliabulo; delirabantque furentes, actíquè in rabiem debacchabantur Archisynagogi, dum peruersam, Deóque inimicam prudentiam, velut ignem fatuum sectati, & meditantes inania, vaticinabantur, verè quidem quoad effectum, venturos Romanos, atque gentem Hebræorum sublaturos, & asportaturos; sed falsò quoad causam, nisi Christum trucidarent; dumque summus eorum Pontifex Caiphas prophetabat vnum pro multis dandum caput, & *expedire vt vnus homo pro populo moreretur ne tota gens periret*: Errabant enim spiritu vertiginis eos abducente, in causa ruinæ, illamque ipsi præbebant, & subministrabant, dum effectum vitare prætendunt. Hoc nimirum excidiũ illis à Deo illatum, inflictumque fuit in pœnam horrendi criminis, detestandique parricidij, quod moliebantur, quodque patrarũt effuso tam crudeliter, tamque immaniter Christi Domini filij sui cruore, vitâque ipsi vitæ, ac innocentiæ ereptâ. Id verò Dominus longè anteà prædixerat, cùm dispiciens Templi lapides prægrandes, ambitiosique operis structuram, non remansurum lapidem super

In d. l. 2. p. 120. ad l. 12. Vlpian.

Ioã. c. 11. 48.

Matthæ c. 24. 2. Lucæ c. 19.

per lapidem prænuntiauit; cùmque flens ſuper Hieroſolymorum ciuitatem, per inimicos, qui eam circumdarent vallo, capiendam, proſternendamque illam præmonuit, Veſpaſianum, Titum, ac Romanos indicans vel ipſo more caſtrametandi, atque foſsâ, & vallo, quas obſederant, vrbes cingendi: Hos autem *Aprum de ſylva, ſingularemque ferum* Dauid appellarat, & ab illis exterminandam, depaſcendamque vineam, ac deſtruendam eius maceriam portenderat, vti Balaam, venturos *in Trieribus de Italia*, Hebræóſque ab his vaſtandos; & Daniel, diſſipaturum populum *cum Duce venturo* Ciuitatem, & ſanctuarium, vtque *venient ſuper* Iſraël *Trieres*, *& Romani*, *&* Iſraël *percutietur.* Pſalm. 79. Numer. c. 24. 24. c. 9. 26. c. 11. 30. 31.

Condemnauit denique Iudicem omnium à Deo conſtitutum, omneſque iudicaturum Chriſtum Pilatus Romanus Iudex, vt opus noſtræ ſalutis à Romanis perficeretur: ſententia Romanâ linguâ, ſtylôque Romano, ac more concipitur, & profertur: ſupplicium Crucis viliſſimum, & crudeliſſimum Romanis vſitatum (vt ipſe Chriſtus denuntiauerat) ad inſanas voces deceptæ, ſæuientiſque plebis, vti ſeruo Chriſto indicitur: titulus Romana de conſuetudine præfigitur Romanâ linguâ, literis etiam Romanis perſcriptus à Pilato, quæ capiti propinquiores, ſicque nobiliori loco fuêre collocatæ: Romanæ cohortis milites (Brutios fuiſſe iamdudum ex A.Gellio comprobatum eſt) coronam è ſpinis plexam indunt eidem auguſto capiti Chriſti; cædunt venerandas genas alapis; flagellis contundunt, & diſcindunt ſanctiſſimos artus; tunicam, quia *inconſutilis*, & *ἄῤῥαφος erat*, micatione digitorum (vti Nonnus canit) ſortiuntur: at pallium direptum quatuor in partes diuiſum partiuntur, Eccleſiam vnam, & indiuiſam ſignantes, eiúſque præconium, hoc eſt, Euangelium, à quatuor Chriſti Matth. c. 20. 19. In c. 19. Ioan.

amanuenſibus tantâ concordiâ concinnatum, vnus vt liber vnius Euangelij cenſeri poſſit, in quatuor orbis partes ab Apoſtolis propagandum. Chriſtus quoque Crucē Romano pro more ſuis humeris baiulauit, atque portauit; cui quatuor clauis eius manus, pedeſque illi forati, ac traiecti, fuerunt affixi; ac exemplum præbuit Crucis à fidelibus cunctis, qui ſequerentur ipſum, ferendæ, præſertim ab Antiſtitibus.

Lipſius, Gretſer. & Boſius de Cruce.

Enimverò Chriſtus ad Zebedæi filios, cùm ipſorum mater Salome auiditate fœmineâ Chriſti dexteram, ſiniſtramque pro illis ambiret, & expoſtularet, conuerſus ait: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Eccleſiaſticas præfecturas demonſtrans calices eſſe, atque Cruces, quæ animos diuexant, & excruciant, atque ſolicitudinum, curarumque amariſſimas illis propinant potiones. Compos equidem voti euaſiſſe Salome à quibuſdam exiſtimatur, cùm Ioannes Epheſi, & Iacobus Compoſtellæ in extrema Hiſpania ſitæ, dextram, læuamque tueantur vrbis Romæ, vbi Petrum Vicarium ſuum ſtabiliendo Chriſtus ſedem poſuit & ſuam. Primus è gentibus Centurio Romanus teſtimonium tulit pro Chriſti naturis, Diuinâ, Humanâque, dum viſis prodigiis terræmotus, inſolitæ Eclipſis, ac tenebrarum, exclamauit: *Verè hic homo filius Dei erat.* Chriſtus demum tradens, & emittens ſpiritum, in Occidentem caput inclinaſſe, Romamque verſùs illum direxiſſe creditur, vt aliàs probaui, velut innuens eam vrbem Vicario ſuo deſtinari: ſepulchrum, in quo Dominus conditus fuit, & à quo glorioſus reſurrexit, ſigillis obſignatum remanſerat; nam (vti Sanctus Matthæus teſtatur) principes ſacerdotum, & Phariſæi acceptâ poteſtate à Pilato *ἠσφαλίσαντο τ̃ τάφον σφραγίσαντες τὸν λίθον μετὰ τῆς κουστωδίας, munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus*, id eſt, cohorte Romanâ, cui commiſſa erat cuſtodia reorum: ſignare

Matth. c. 20.23.

Marci c. 15. 39.

l. 2. c. 1. Præneſt.

c. 27. v. 66.

184

signare verò significat sigilla imprimere, quæ sanctus Ioannes Chrysostomus σήμαντρα nominauit. Nicephorus Callisti hæc refert apud Langum: *Sepulcro Dominico primum sigillum fuit impositum, quod & intactum permansit, & custodia illa militaris, & genere alienigena in propinquo sigillum obseruabat, prætereà ingens lapis ad os sepulcri appositus:* (deinde) *Traditum nobis est ab antiquis Iudæis lapidem illum, qui supra salutiferum sepulcrum vice operculi fuerat positus ad primum sepulcri labrum, petrámque infernè se coniungentem, ferramentis quibusdam fabrili lapicidarum arte perforasse, ferrúmque ingens à fabro propinquo acceptum per vtrumque foramen immisisse, & in circuli, siue annuli formam circumegisse; atque ita firmiter capitibus commissis omni ex parte vinculum circumduxisse, vt lapis qualicumque modo reuelli loco suo, aut saltem ratione aliqua (nisi arte quadam, & vi adhibita, necessariò aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur) non potuerit: atque ad hunc modum cum magna cura, atque signo etiam apposito sepulcrum communitum est:* consentitque Beda, suisque temporibus adhuc in superposito lapide vestigia ferreorum vinculorum superfuisse memorat. Fuit hæc sanctarum mulierum aromata ferentium ad vngendum Christi corpus anxietas, cùm solicitæ forent, ecquis reuolueret ipsis lapidem seu ostium monumenti. Tumulum igitur, in quo Christi corpus adorandum repositum fuit, sigillis, quæ Romani vel Imperatoris, vel Procuratoris fuisse verisimillimum est, obsignari, atque muniri, eúmque à custodia militari, scilicet à cohorte militum Romanorum excubante asseruari voluit ipse Christus; quò significaret Romanos, seu Catholicos, & Orthodoxos Præsules, custodes, & quasi sequestres fore sui corporis in Eucharistia veri, & in Ecclesia mystici. Insuper Christus Dominus sanctum Petrum, cui vices suas præcipui iure crediderat, Romam missum ibi persistere coëgit, dum ei fugienti visus, & ro-

Toto tit. D. de Custod. & exhibit. reor. l. 1. c. 32. Histor. lib. de annul. signat. f. 117. ad calcem.

lib. 2. de loc. sanct.

ganti, *Domine quò vadis?* in Vrbem vt rediret persuasit, vtque illam suo sanguine oblitam quasi cæmento firmaret in fide, sedémque fixam, & stabilem relinqueret successoribus: affirmat hoc S. Ambrosius, & Traditio hucvsque insinuata protestatur. Quin & à

Actor. c. 25. & 28.

Paulo Romam, vbi ad Cæsarem appellarat, deducto, Euangelium ibi promulgari, martyriúmque obiri mandauit, & ad Romanos scribi epistolam, quâ prædicat eorum fidem in vniuerso mundo annunciari, vt impleretur oraculum Isaiæ, quo se missurum ex eis, qui saluati fuissent, ad Gentes in mare, tum in Italiam, & Græciam pollicitus fuerat.

cap. 1. cap. 66.

Denique Romam tot generosorum Ecclesiæ pugilum agone nobilitatam, & cruore purpuratam, tot admirabilibus, & humanum modum supergressis operibus insignem, & ad supremum Imperij, Ecclesiæque fastigium prouectam, Regiámque, ac sacerdotalem æternam esse constituit, id est, non alium, nisi quem Orbis terrarum desinens habebit, finem habituram, atque ad excidium vsque mundi duraturam. Hoc autem traditum fuit ab antiquis vsque temporibus, & Patres illa verba S. Pauli, *donec de medio fiat*, seu tollatur, exposuerunt de Imperio Romano temporali, quod quamdiu steterit, stabit & mundus; S. autem Thomas scribit Romanum Imperium è temporali commutatum in spirituale è sancto Leone, atque ideò discessionem à Romano Imperio intelligendam non solùm à temporali, sed etiam à spirituali, videlicet à fide Catholica Ecclesiæ Romanæ; arguitque vel inde signum istud fore conueniens, quia venit Christus, quando Romanum Imperium omnibus dominabatur; ita è contrario adueniet Antichristus, cùm discessio facta fuerit ab eodem Imperio spirituali, & temporali: vnde quando ab Alarico Gothorum Rege capta, direptáque fuit Roma, instare finem

c. 8. ad Thessalon. 2 Thess. 2. 7. c. 13. Apoc. Sanct. in c. 7. Daniel. Pamel. in Tertull. c. 24. de Resurr. carn. & c. 32. Apologet. Isæus ad c. 15. l. 7. Diu. Instit. Lactantij.

185

finem sæculi rumor increbuit, vltimámque horam esse; vt apud Palladium, & Heraclidem legitur. Qui verò expugnare, deuastaréque Romam sunt ausi, θεομηνίαν, *iram Dei* experti subitò, non impunè tulerunt, & sicuti quicumque Iliacos ferro violarant agros, infanda per orbem supplicia, & scelerum pœnas expenderunt omnes, vt Diomedes apud Virgilium conquerebatur: senem Getam inducit Claudianus, qui sic admonet Alaricum dum Romam tenderet.

lib. 8. Vit. Patrum. Lausiac. cap. 118. Paradis. c 42.

——— (*referunt si vera parentes*)
*Hanc vrbem insano nullus qui Marte petiuit,*
*Lætatus violasse redit, nec Numina sedem*
*Destituunt.* ———

lib. de bell. Getic.

Neque diù gauisus est Alaricus victoriâ, prædâque Vrbis, nam morte præreptus illicò penè obiit, sicuti Geisericus Vandalorum Rex, qui posteà Romam vastauit. Saraceni, qui dudum pòst, sedente Sergio II. Pontifice, Romam depopulari sunt, onusti opimis spoliis ad naues reuersi sunt; sed mox coortâ tempestate perierunt. Ipsi Germani, & Hispani, qui vltimi Romam inuadere, ac expilare non sunt veriti, peste, ferrôque omnes celeriter absumpti, temeritatis suæ meritas pœnas dedêre. A decem Regibus, in quos abscessio Romani status facta fuerit, quíque pariter existent, Romam dignos exitus relaturam quidam opinati sunt, cùm mundo imminebit exitium, non tamen exterminatam à gentibus, sed ignibus, & fulminibus disiiciendam S. Augustinus censuit, id est, ignibus, quibus mare, tellus, & *Regia cæli*, corripientur, incendendam, arsuram, & exurendam.

Anastas. Biblioth.

Bellaius; Guicciardin. Grolierius.

Ouid. in Metamorph

Meritò itaque Vrbem æternam Ammianus, & Imperatores passim nuncuparunt; & tot, tantáque cùm exstent erga Romam, Romanósque, Dei, ac eius vnici, coæternique filij IESV CHRISTI Domini nostri beneficia, támque dilucida dilectionis spe-

D

emina; & amoris argumenta, nemo ibit inficias Ecclesiam, & Vrbem Romanam, Romanúmque nomen Deo, Christôque in primis chara, & accepta esse, ínque cælesti tutela peculiariter, diuinôque præsidio fulciri: patétque liquidò Christum Romam adamare semper, atque præcipuâ beneuolentiâ complecti, & verè φιλορώμαιον existere.

Hactenus (EMINENTISSIME PRINCEPS) quæcumque occurrerunt ad communis patriæ, (quæ propria est Eminentiæ Vestræ) decus, vtcumque concinnaui; neque diffiteor plura congeri posse, sed gustum præbere, ac eruditiores excitare conatus sum; si verò EMINENTIÆ VESTRÆ conatum istum meum admirabilis ac perspicacis ingenij sui solertiâ, & ad lancem solidæ suæ doctrinæ perpensum, & examinatum velut exagio approbauerit, próque innata comitate, ac benignitate gratum habuerit, summam votorum meorum consequar, & tanti Principis approbatione gloriabundus operæpretium à me peractum suis omnibus numeris absolutum existimabo. Peroni, viij. Kalend. Augustas CIↃIↃCLII.

